

2168. P. Ger.

873  
2

4

ASSERTIONES  
DE PACTO SVCCESIONIS  
RENVNCIATORIO

Quas  
Dei ter. Optimi Maximi auspicio.

PRAESID-E

NOBILI CON-  
SVLTISSIMO QVE VIRO  
DOMINO FRIDERICO MARTINI  
I. V. D. SACRI CAES. PALATII COMITE.  
Nec non Caesareæ Maiestatis & reliquorum  
Serenissimo-û Austriae Archiducum Con-  
siliario. Atq; in Inclyta Eriburgensium  
Academia Professore Canonum  
Primario.

Ad diem 15. Septembris Exercitij  
gratia hora & loco consuetis  
defendere conabitur

*Nobilis & pereruditus Iuuenis. Iohannes  
Christophorus ab Ampringen:*

FRIBVRGI BRISGOIAE,  
Ex officina Typographica MARTINI BÖCKLERI.  
ANNO M. DCV.





SERENISSIMO PRIN-  
CIPi, AC DOMINO, DOMINO  
MAXIMILIANO ARCHIDVCI AVSTRIAE,  
duci Burgundiæ, &c. Ordinis Germanici Ad-  
ministratori Magni Magisterij in Prussia, eiusdemq; or-  
dinis per Germaniam Galliam & Italiam Magi-  
stro, Comiti Tyrolensi, &c. Domino  
suo clementissimo.



**Q**uod cuiusdam olim, qui Augusto  
Casari libellum offerre cogitabat,  
manum nunc proferenti nunc re-  
trahenti, verentique ne principi  
suo gravissimis negotijs occupatissimo, mole-  
stiam pareret: Idem Serenissime princeps Do-  
mine clementissime, nunc mihi disputationem  
ex iure meditati, eamq; more solito conspicua  
persona dedicare volenti, accidit. Nam po-  
steaquam iuris studio tam Dole Burgundio-  
num, quam hic Friburgi, ad aliquot annos  
operam dedi, ingenij vires experturus, hasce  
assertiones in mediũ proponere volui, & cum,  
de patrono more consueto cogitarem ut easdẽ

## EPISTOLA

T. S. C. inscriberem, quædam deterebant, non-  
 nulla inuitabant. Deterrebat rerum plurima-  
 rum earumq; grauissimarum multitudo: nul-  
 lus enim nostrum est, qui T. S. C. tam bellicis  
 quam civilibus negotijs, si vel unquam certe  
 hoc turbulentissimo tempore, impeditissimam  
 ignoret, deterrebat etiam ingenij & materia  
 una atq; altera pagina comprehensa, tenuitas.  
 Contra vero. T. S. C. in omnes bonarum  
 artium amatores, innata clementia bonitas &  
 fauor, mea vero in eandem debita fidelitas &  
 obseruantia, inuitabant. Vicit tandem pudor  
 debita fides & obseruantia. Cum enim  
 duo sint tempora, unum belli, alterum pacis,  
 vasallus utroq; sin minus in altero, suam fi-  
 dem domino probare debet, quia vero in hanc  
 meam etatem iuris studia potius, quam armo-  
 rum cadunt, in illis mea fidelitatis rationem  
 reddere volui. Et, ni fallor, sine reprehensione.  
 Nam cui libentius vellem, cui libentius velle  
 deberem hos primos ingenij mei fructus deferre  
 à T. S. C. non erat ullus, siquidem cum omnes  
 beneficiarij erga benefactores gratos se exhibere  
 debeant,

## DEDICATORIA

debeant, tum vero vasallis in primis id incum-  
 bit. Quod nulla in re commodius facere me  
 prestare posse putavi, quam si T. S. C. hoc qua-  
 becunq; scholastici certaminis Tyrocinitum of-  
 ferrem. Accipe igitur serenissime princeps,  
 Domine clementissime, hunc animum exiguiq;  
 laboris conatum, neq; tam quod T. S. C. conue-  
 niat, quam quod à me prestari atq; tenuitas  
 ingenij patiatur, expendat, & quæ me meosq;  
 clementia fouere cœpit, eadem porro amplecti  
 non dedignetur. Et tuo Friburgo pridie Idus  
 Septembr. Anni 1605.

T. S. C.

Subiectissimus & fidelissimus  
 cliens & vasallus,

Ioannes Christophorus  
 ab Ampringen.



D E

# PACTO RENUNCIATORIO

SV CCESSIONIS.

ASSERTIO PRIMA.



Actum à pace dictum, (A) vlpiano, (B) nihil aliud est, quam duorum vel plurium (C) in idem placitum, (D) consensus, (E)

(A) *Isidor. lib. 5. Ethym. relatus in c. pactum de V. S. Molina de iustit. & iure disp. 252.*

(B) *l. 1. ff. de pactis.*

(C) *Neg. enim solus quispiam, vel sibi ipsi pacisci potest, quia nemo sibi obligatur, l. 2. ff. de stipulat. Seru. l. penult. ff. de Arbitr.*

(D) *Quia si sit solum offerentis promissum, pactum non est, sed pollicitatio, l. 3. ff. de pollicit.*

(E) *loco generis ponitur, quia latius patet quam pactum: ut V. G. in consilijs, in doctrinis philosophicis potest esse plurimum in idem placitum consensus, qui tamen pactum non efficit, VVesenbec. in paratit. sforum. lib. 2. tit. 14. n. 2. circa mediū.*

II.

Pacta alia nuda, alia vestita sunt (A) Pacta nuda dicuntur ea, quæ in simplicib. & puris finibus conventionis stant, (B) seu in proprium & speciale nomen contractus non transeunt, nec aliquod fomentum extrinsecus accedit, quod civilem obligationem gignat. (C) Vestita è contra dicuntur, quæ in finib. nudi pacti non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus, aut alio iuris adminiculo roborantur, (D)

(A) est

## THESES IVRIDICÆ

(A) est communis Dd. traditio, Corras. teste, *Miscell. iur. lib. 1. cap. 1. Distinctionis & docendi gratia, Treuil. selectar. disp. vol. 1. disp. 6. thesi. 1.*

(B) *l. si tibi, ibi; si conventio placiti sine stetit, ex nudo pacto; C. locati & cond. l. si diuisionem, ibi, si verò placitum diuisionis usq. ad pactum stetit C. famil. hercisc.*

(C) *l. iurisdictionum §. 1. & 2. collatis cum §. sed cum nulla & §§. seqq. ff. de pactis. Cuiac. lib. 2. obs. cap. 15.*

(D) *l. iurisdictionum in princip. ff. de pactis Corras. d. loc.*

III.

Renunciatio (A) est iuris sui futuri (B) refutatio.

(A) *Hostiens. in aurea summa tit. de renunc.*

(B) *Quia iuris alieni, publici, diuini renunciatio nulla est.*

III.

Porro quamuis pactum, patri factum à filia dum nuptui tradebatur; vt dote contenta nullum ad paterna bona regressum habeat, iuris Ciuilis auctoritate improbetur: (A) si tamen iurisiurandi religione firmatum fuerit, omnino seruari debet, (B)

(A) *l. si quando §. 1. C. de inoff. testam. l. pactum dotali C. de collat. l. fin. ff. de suis & legit.*

(B) *c. quamuis de pactis, in 6. Ratio est; Quia non vergit in aeternæ salutis dispendium nec redundat in alterius detrimentum. d. c. quamuis. Et c. contingat, de iure iur. cum non sit de re illicita ex parte iurantis, ita quod absq. lethali & veniali culpa seruari possit. Ludonic. Molina de iustitia tract. 2. disput. 149. versu. tertium est. Couar. c. quamuis 3. parte. Schurpf. cent. 1. consil. 96. n. 20. & cent. 2. consil. 14. n. 2. Matth. VVesenbec. consil. 13. ubi plene hanc materiam examinat. Atq. ita communiter tenent Dd. Anton. Gabriel. som. concl. lib. 3. concl. 1. n. 1.*

V.

Cum itaq. inter Ius Can. & Ciuile hoc casu videatur esse repugnantia, ab vno hoc, ab altero aliud statutum: videri ali-

THESES IURIDICÆ.

seri alicui posset, vnumquodq; in suo foro seruandum, ita vt dispositio d. c. quamuis in terris S. Pontifici subiectis, decisio verò d. l. pactum dotali, in terris imperij obtineat.

(A) Nos tamen iuri canonico in vtroq; foro standum asseueramus. (B)

(A) c. Clerici, vbi Abbas & Dd. de iudicijs. Exemplo sit, quod testamentum coram duobus testibus & Parocho factum, in terris dominio temporali Ecclesia subiectis sustineatur, c. cum esses, de testam. in terris autē Imperij nequaquam, sed septem legitimè adhibiti requirantur, l. hac consultissima C. de Testam.

(B) gl. in d. c. quamuis verbo seruari, nec mirum quando enim est controuersia aliqua in iure ciuili, & casus ille decus est in iure canonico tunc stamus iuri canonico in vtroq; foro c. 1. & qua ibi not. ext. de noui operis nunc. gl. in c. 2. in ver. ciuilib. de Arbit. At casus in quo versamur iure can. decus est d. c. & gl. Atq; hanc sententiā tenet Sychard. in d. l. pactum dotali n. 2. Oldendorp. in tract. vsucap. in princ. n. 17. Estq; communis, teste VVesenbec. in paratit. sforum de pactis, circa finem. Item consil. 23. n. 26.

VI.

Cæterum tale pactum à iure ciu. non idè improbat. quod quis iuri futuro renunciare non possit, (A) nec quod sit bonis moribus contrariū, (B) sed quia præsumptiue sit ad importunam parentum sollicitationem, quibus ob honorem à natura debitum, non ausi refragari liberi, licet facillimo, non tamen omnino libero consensu, futuræ successioni renunciant. (C)

(A) Quia iuri, futuro potest renunciari l. 1. C. de pactis vbi Dd. hoc communiter annotant. si accedat consensus eius de cuius successione agitur, l. si. C. eodem. Itaq; cum in specie nostra patre consentiente tale pactum sit initum, nequaquam dici potest, illud nullum esse, quod sit renunciatio futuræ successionis.

(B) quia

THESES IURIDICÆ.

(B) quia iuramento firmatur, d. c. quamuis, quod tamen nequaquam rectè diceretur, si bonis moribus aduersaretur quia non est obligatorium contra bonos mores præstitum iuramentum c. non est obligatorium de R. 1. in 6.

(C) l. 1. §. qua oneranda ff. quarum rerum actio. modico etiam accepto, ne patris indignationem incurrant, l. si quando, §. illud. Corras. Miscell. iur. Ciuil. lib. 7. cap. 32. Couar. d. c. quamuis 3. partis initt. n. 1.

VII.

In tantum tale pactum iuratum valere dicimus, vt non solum iuramentum ipsum, sed etiam pactum alias invalidum, iuramento validetur, sitque seruandum.

d. c. quamuis, ibi: si tamen iuramento firmatum fuerit seruari omnino debet, qua verba referuntur ad ipsum pactum & indicant illud iuramento firmari, vti glos. hoc expresse notat ibidem. Et gl. in c. licet, & in c. cum contingat de iureiur: Deinde donatio inter parentes & liberos, inter virum & uxorem legib. est prohibita, & si fiat est nulla, l. donationes C. de donat. inter virum & uxorem, l. 2. C. de inoff. donat. Et tn. si iuramentum accedat, valet talis donatio, Couarr. d. c. quamuis, 2. p. §. 1. n. 7. Gail. lib. 2. obser. obseruat: 26. Fach. controuers. iuris lib. 3. cap. 11. Et est communis. vti testatur Matth. VVesenbec. d. consil. 23. n. 18. & aliquot segq. & Hieron. Schurpf. consil. 17. n. 14. R. P. Ioannes Azorius Institut. Moral. lib. 1. cap. 11. versu duodecimo & lib. 11. cap. 7. vbi pulcre per Reg. hanc rem examinat. Idem in effectu habet Molina de iustit. tract. 2. disput. 569.

VIII.

Atq; hinc est, quod filia taliter renuncians, non possit patre mortuo aliquid petere à fratribus, vel tertio possessore, (A) nec eius hæredes contra tale pactum quicquam attentare.

(A) Quia per pactum à se abdicauit omne ius, quod habuit,

B

idq;

idq; transulit in patrem, ita ut nihil remanserit penes filiam, ratione cuius aduersus tertium possessorem agere possit, quod tamen dicendum foret, si iuramentum non redderet pactum firmum, siquidem iuramentum, quod seruandum esset in hac specie solum vires haberet in persona patris, cui præsistum fuit. Ideoq; is qui non habet causam ab eo, nullatenus se defendere possit. Couar. d. c. p. 2. §. 1. n. 13.

(B) ex iuramento enim duo vincula oriuntur vnum personale & spirituale quo ligatur iurans sub pœna periurij, alterum confirmatorium pacti reale quod etiam ad hæredes transit & ligat Dd. in d. c. quamuis. Azorius d. cap. 7. versu quinto. queritur. Quia hæres contra factum defuncti venire non potest, l. cum a matre, C. de rei vendic. l. ex qua persona, ff. de R. 1. & proinde eiusdem contractibus obligatur l. si pactum ff. de probat. l. 2. ubi Dd. C. de pactis inter empt. & vend.

## IX.

Quod tamen accipiendum est, casu quo filia renuncians tempore mortis patris, cui pactum renunciatorium factum est, superuivuit: (A) si enim eo viuente filia decedat, tale pactum nepotib. non præiudicat, auique hæreditatem iure proprio petere possunt. (B)

(A) quia nihil iuris in eius hæreditate habet, ut pote quam mater præcedat gradu ad ius successione proximior §. ita demum tamen nepos. Institut. de hæred. qua ab intestato l. 1. §. si filius ff. de suis & legit; qua cum renunciarit eius filius & hæres contra venire nequit, sed contractum matris ratificare cogitur per allegata ad thesin. præcedentem. VVesenberg. post alios ibidem citatos, consil. 9. n. 14.

(B) Argumento legis si ex patronis §. 1. in fi. ff. de bon. libert. & l. si quis filio, in princip. ff. de iniust. rupt. & irrit. l. si quis posthumus, §. si filium, ff. de lib. & posthum. ubi traditur, quod si pater ex hæredes filium suum, usq; moriatur superstitie patre, ista ex hæredatio non nocet nepotib. Ergo eodem modo

nec

nec renunciatio matris nepotibus præiudicabit. Ratio duplex reddi potest: prior est; Quod hæc successio debeat liberis provisione legis seu Edicti. Ideoq; parentes eam suo iudicio suaq; dispositione tollere non possunt. l. si quis filium C. de inoffic. testam. posterior est, quia talis renunciatio habet tacitam conditionem, si hæreditas, cui renunciatum est, quandoq; ab intestato deferreretur uti nostri omnes sentiunt post Bald. in l. vlt. C. de pactis, (fieri siquidem per rerum naturam non potest, nec intellectus cogitatione percipi, ut excludatur quis ab acquirenda successione aut aliare, priusquam ea delata sit, & sicut delatio præcedit necessario acquisitione, ita & repudiationem, seu quod idem est, renunciationem, arg. leg. si ita sit scriptum, §. si sub conditione, ff. de legat. 2.) Hæc autem conditio aperte deficit, ubi præ mortua est filia, qua renunciauit, nec enim viuentis patris vlla unquam fuit hæreditas l. 1. ff. de hæred. vendita. qua huic filie deferri potuit. Et rursus, mortuo patre cum aliqua hæreditas eius esse capit, non potuit deferri filie iam tunc defunctæ: quia mortuo neq; deferri, neq; acquiri quicquam potest, fieri ergo non potest, ut nepoti eo tempore succedere volenti, siue cum alijs nepotib. succedat, siue cum patris, aut auunculis noceat renunciatio, qua iam euannit, nec vlla unquam fuisse intelligitur, Marantha. disp. 10. n. 8. & seq. ubi accuratissimè hæc questionem examinat. VVesenberg. d. lo. Menoch. conf. 401. n. 89. Hieron. Schurpf. centur. 1. conf. 74. Fach. controuerf. iuris lib. 3. cap. 23. Estq; cõis Dd. sententia: Anton. Gabriel; com. concl. lib. 3. concl. 1. n. 43.

## X.

Prædicta quoq; obtinent, si filia iurato promittat se renunciaturam, (A) siue de improbatione talis pacti à iure ciu: siue non fuerit, certior reddita. (B)

(A) Ratio est; Quia cum teneatur renunciare, ad inutilem circuitum euitandum, re ipsa renunciaisse censenda est. arg. leg. cum fundus, §. seruum tuum, ff. si certum pet. l. dominus testamenti,

stamento; ff. de condict. in deb. Nec mirum, quia nihil inter est eius, qui iuravit, an excludatur per renunciationem, an citra renunciationem, cum ad effugiendum periurium exclusionem realiter & actualiter intervenire necesse sit. Deinde pactum de liberando aliquem, liberationem parit, l. si intra ff. de pactis, l. si creditores C. de fideicom. ut ea de causa exceptio detur debitori. Ergo eodem modo pactum de renunciando, renunciationem inducere debet. Et hac est communis Dd. sententia, prout in specie post Mich. Grassum, annotat Myns. singul. obseruat. cent. 2. obser. 7.

(B) Arg. d. c. quamvis, ubi filia renuncians hereditati paterna obligatur efficaciter, propter iuramentum, nec ulla fit mentio certiorationis; Nec immerito, cum hoc casu iuris iurandi virtus ob talem ignorantiam (ut potest qua non impediatur consensus iurantem), minimè deficiat: cogitabat etenim se obligare, quantumque in se est promissa servare, & proinde nullo vii velle subterfugio, Molina de iustit. & iur. disp. 440. circa medium. Quid, quod iusiurandum enixam deliberatamque voluntatem arguat, l. cum pater, §. filius matrem, ff. de legat. 2. habeatque vim certiorationis, Gal. lib. 2. obs. obser. 77. n. 10. Corraf, miscell. iur. civil. lib. 7. n. 4. Estque magis communis Dd. sententia, Gabriel. comm. concl. lib. 2. concl. 3. Hinc est quod mulier iureiurando se pro alio obligans, etiam si Scto. Vellei, specialiter non renunciauerit, nihilominus obligetur, nec exceptione iuuetur, c. ex rescripto, & c. cum contingat, extra de iureiur. Gal. d. lo. Præterea, Ratio esse potest, id quod dicit lex ult. C. de iur. & facti ignor. mulieri (scilicet) ius ignorantem non esse succurrendum, præterquam in casib. expressis, nullibi autem expressum est mulieri ius ignorantem contra præstitum iuramentum subueniri debere, Each. controu. iur. lib. 2. cap. 61. VVesenbec. consil. 23. n. 52.

## XI.

Deinde non distinguimus, nūm sit suæ potestatis, an verò adhuc in patris potestate constituta, (A) maior ne sit,

sit, vel minor, (B) dummodò sit pubes, (C) an liberos susceperit, nec ne. (D)

(A) Quia non minus illo, quàm hoc casu verum est dicere, quod iuramentum nec in alterius præiudicium, nec æternæ salutis dispendium vergens, omnino sit seruandum.

(B) Auth. sacramenta puberum C. si aduers. vendit. Ratio legis est, quia iuramentum ex minore facit maiorem, licet non verè, fidè tamen, quæ admodum ergo maior ex tali renūciatione iurata tenetur, ita minor tenetur, Sich. d. auth. n. 1. VVesenbec. ibidem Hieron. Schurpf Cent. 3. consil. 70. Martb. VVesenbec. consil. 23. n. 22. 23. & 24. Estque communis Auth. Gab. lib. 2. de minoribus conclus. 5. per. tot.

(C) quia si impubes sit iuramento non obligatur, nec constitutio Frideric imperatoris, quæ est in Auth. sacramenta puberum C. si aduersus venditionem locum habet: quia iuramentum debet habere tres comites, veritatem, iustitiam & iudicium c. et si Christus, de iure iurando Impubes autem non videtur habere iudicium, saltem plenum & integrum ut requiritur. Deinde quia impubes voto non obligatur c. 1. de Regularib. in 6. ergo nec iuramento Couar. in Epitome de sponsalibus part. 1. cap. 5. §. 1. n. 4. Fach. controuers. iur. lib. 3. cap. 10.

(D) Nam si non valeret tali casu esset idèd, quod verisimile non sit, renunciantem aded. posteritatis suæ immemorem, ut si se suscepturam liberos cogitasset, tanta fuisse vsuram, liberalitate, minimeque donaturæ l. cum auus, l. cum acutissimi C. de fideicomis. Quæ est communis ratio decidendi ad leg. si vnquã C. de reuocand. donat. prout ex communi Dd. sententia tradit Mynsing, singular. obs. cent. 5. obs. 63. Et Fach. controuers. iur. lib. 3. cap. 85. Atqui hæc ratio hoc nostro casu cessat, cum fiat talis renunciatio præmissa cogitatione proli suscipienda, fit equidem à filia cū nupti traditur, cuius præcipuus finis est procreatio sobolis, l. 1. ff. solut. matr. Myns. d. cent. obs. 64. n. 6.

## XII.

Filia quoque monasterium ingressura, si paternæ successionis iureiurando renunciet, valet renunciatio, (A) monast. riq; præiudicat, etiam patre post professionem mortuo. (B)

(A) arg. d. o quamvis. d. c. cum contingat de iureiur. Ratio est: quia nulla est congrua discriminis ratio, quæ verè probet pactum factum à filia, religionem professura, non valere, cum validum sit, quod fit ab ea. quæ

matrimonium contrahit, cum alias à matrimonio carnali ad spirituale optimum ducatur argumentum, Euerhard. in locis legal. loco à matrimonio carn. ad spirituale. Accedit quod licita sit extensio legis vel canonis de casu ad casum quando ratio est larga & verò, casu æqualiter militat, l. & ideo l. non possum cum l. seq. ff. de leg. Euerh. in locis legal. l. à ratione legis larga n. 76. Atq; ratio d. c. quamvis quod iuramentum nec vi nec dolo præsistum, nec vergens in alterius detrimentum, aut eterna salutis dispendium, sit seruandum larga est aque huic casui competens.

(B) quia cum monasterium hoc casu succedere non possit nisi ex persona monialis, & illa iam exclusa fuerit renuntiatione iurata, non video quo iure monasterium eam hereditatem vendicare possit, videatur Fach. controuers. iuris lib. 3. cap. 22.

## XIII.

Hodie tamen ex decreto Concilij Triden: statutum est, vt siue mares siue foeminae sint, nulla eorum renuntiatione ante professionem facta, etiã cum iuramento, vel in fauorem cuiuscunq; piæ causæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi siue eius vicarij fiat, intra duos menses proximos ante professionem, ac non alias intelligitur effectum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta etiam si cum huius fauoris expressa renuntiatione, etiam iurata sit irrita & nullius effectus. (A)

(A) sessione vigesima quinta cap. 16. de Regularibus & monialibus. decretum id fuit propter incommoda, quæ ex eo oriebantur, quod nouitij, interim dum probationis tempus durat, retardarentur ab egressu, si status ille eis non placeret, formidando se non habituros in seculo ea omnia bona, quæ erant habituri, si ingressi, non fuissent monasterium, eaq; ratione ducti professionem emittebant, quam alioqui non fuissent emissuri. Molin. de de iust. tract. 2. disp. 149. versu quod ad Ecclesiam attinet.

## XIV.

Effectus talis renuntiationis iuratae is est, quod per eam filia quæ renunciauit excludatur ab hereditate patris, siue intestatus (A) siue condito testamento moriatur, eo vsq; vt præterita patris testamentum impugnare nequeat, (B) & si deinceps

deinceps se immiscere velit hæreditati, mandato pœnali coerceri poterit, (C)

(A) Ratio est, Nemo enim habet regressum ad ius, cui renunciauit l. quæritur, versu, Remittentibus eni ff. de adilit. edicto. Atqui filia renunciauit hæreditati paternæ, quia renunciauit simpliciter & quod hinc sequitur, hæreditati sibi ab intestato debita: quia ex testamento non potest dici debita, cum in patris potestate esset testamentum facere vel non facere, imo si pater post renuntiationem, heredem scriberet, apud omnes in cõfesso est filiam succedere posse, Couar. sãp. d. quamuis 3. part. §. 3. n. 5. Fach. controuers. iuris lib. 3. cap. 71. & Gabrielius lib. 1. commun. conclus. tit. de iure dotium conclus. 1. n. 40.

(B) Ratio est quia illi solum ius habent rumpendi, aut nullum dicendi testamentum, quib. ius competit succedendi ab intestato, l. posthumus, §. si quis, ff. de inoffic. gl. in l. sciendum, verbo parentib. eod. Atqui in casu proposito filia ab intestato (vrpote qua per renuntiationem exclusa est,) succedere nequit, ergo Schurpf. cent. 2. cons. 14. in fine.

(C) Adrianus Gilmannus in decisionib. seu præiudiciis Camera. verb. Renuntiatio fol. mibi. 201.

## XV.

Et quamvis sciamus communiter Dd. placere, eam quæ paternæ hæreditati simpliciter, nullaq; legitimæ specialis facta mentione, renunciauit, accepta dote nihilominus legitimam petere posse (A) nobis tamen displicet. (B)

(A) Boerius decis. 3. n. 7. vbi eandem communem asserit. Afflic. decis. 118. n. 3. Myus. singular. obser. cent. 1. obs. 36.

(B) qua enim ratione fieri potest, vt ad legitimam petitionem admittatur, quæ ab ipsa intestati successione penitus exclusa est. Repugnat mera iuris ratio, cui legitima nihil aliud est, quam portio hereditatis, aut partis hereditariæ ab intestato cõtingentis l. Papinianus, §. si quis mortis, ff. de inoff. testam. li cum quæritur, C. eod. à qua tamen ipsam exclusam præcedenti thesi probauimus. Neq; iure defendi potest, legitimam vllam deberi ei, cui succedendi ius ab intestato nullum supersit, l. posthumus in princ. & §. 1. ff. de inoff. testam. Nec quicquam refert, quod priorem opinionem communem dixerimus, quoniam & hanc communem (si Couaruuie in d. c. quamuis p. 3. §. 3. n. 3. credimus) attestatur Ripa lib. 1. Respons. cap. 6. col. vlt. eamq; sequitur Fach. cõtrouers. iur. lib. 3. cap. 25. Accedit hoc quod iuramentum vim nominata renuntiationis habeat, §.



## THESES IVRIDICÆ:

*hac autem, ut cum de Apell. in Auth. Myns, in §. sed hæc, n. 3. de inoff. testam. apud Iustin. videtur q. communis, Gabriel, com. conclus. lib. 2. concl. 2.*

### XVI.

Quod si filia, quæ renunciauit, pater aliquid, vel minimum testamento reliquerit an hoc ipso renunciationis vis ac potestas vsq; adeo extinguatur, ut possit filia intentare beneficium leg. omnimodò C. de inoff. testam. ac si nunquam renunciaffet, Neg.

*Ratio est, quia cum voluntas testatoris, dummodo legib. sit consona, pro lege sit obseruanda, qua fronte totam legitimam adiciemus ei, cui testator partem tantum dedit. Dices sublatum hoc casu vinculum iuramenti Respondeo illud verum esse ad eam vsq; portionem, quæ testamento relicta est, argumento. leg. 3. ff. de testam. milit: vulgare enim est, limitatam causam limitatum producere effectum, l. in agris, ff. de acquir. rer. dom: In lucro igitur ponere renuncians debet, si quid ei præterea ex tabulis testamenti obuenerit, eoq; esse contenta, cum vel si nihil accepisset contenta esse deberet, ut præcedenti thesi: Et sanè, longa diuersa est ratio supplementi legitime, quod beneficio d. legis omnimodò petitur, etiam si non fuerit relictum. Id enim fit, quia ei cui testator minus reliquit, quam pro legitima relinquere debuit, debetur illud quoq;, quod relinqui oportuit, nec relictum fuit; at filia, cui propter renunciationem nihil debeatur non potest videri minus relictum quam debeatur, ob hoc solum quod pater aliquid ei reliquerit, nisi forte idem est, plus dare quæ debeas & minus dare.*

### XVII.

Dubium tamen nullum est, quoties renunciatio facta est patri etiam gratia filiorum, quin si mutata voluntate parens eam hæredem instituerit, succedere possit, (A) Maximum autem dubium est: si cum fratre pacta sit patre præsentente scilicet, & consentiente, an patri liceat mutare voluntatem, filiamque capacem efficere hæreditatis, Id quod affirmamus. (B)

(A) *l. vlt. C. de pactis, quæ pactum in initum pro aduentura hæreditate tertij repellit, nisi ipse de cuius hæreditate pactum est voluntatem suam in accom-*

## THESES IVRIDICÆ.

*accommodauerit. Et in ea voluntate ad extremum vsq; vitæ spiritum perseueret. Nam si ea voluntatis perseuerantia, tum etiam requiritur cum inter alios pactum factum est, quanto magis erit necessaria, ut is excludatur qui pactum fecit cum eo ipso de cuius successione agit: facilius enim est, ut eius factum noceat, cuius & profuit quam eius qui alieno facto consensum hæreticæ suæ accommodauit. Præterea pater in eundo tale pactum cum filia procul dubio id agit, ut sibi gratificetur & ne quid capiat ultra; contra, vel præter suam voluntatem: At cum testamento eam hæredem scribit, declarat non esse amplius contra suam voluntatem. Faciunt huc duo textus qui hoc euidentissime probare videtur. prior est in c. 2. de Renunciat. vbi habetur quod si quis renunciauit, non accipere beneficium ab aliqua Ecclesia, possit licite accipere, si ei conferatur. posterior est in l. si patronus ff. de bon. libert. vbi dicitur, quod si patronus non aluerit libertum, priuatur secundum leg. Etiam Sentiam successione bonorum liberti, nisi eundem hæredem instituerit Myns. singul. obs. cent. 2. obs. 7. n. 2.*

(B) *nam ex quo tempore deficit consensus tertij incipit conuentio esse iniqua & contra bonos mores propter improbam spem & sollicitudinem hæreditatis alienæ, quæ pacti inest, & ideo ad validitatem talis pacti requirit Iustin. d. l. vlt. perseuerantiam voluntatis tertij. Deinde iuramentum ex natura actus cui apponitur recipit interpretationem. l. vlt. C. de nõ num. pecun. ut si actus sit reuocabilis, ut in proposito casu, per d. l. vlt. C. de pactis, fit etiam reuocabile iniurandum. Præterea iniquissimū foret, durius agi cum patre quæ liberis inter se paciscentibus voluntatem suam accommodauit nec iurauit quam si ipse pactus fuisset & iurasset, quo tamen casu mutatio voluntatis sustinetur, ut est communissima & verissima Dd. omnium ferme sententia.*

### XVIII.

Non obstante tamen tali renunciatione, filia petere potest id, quod sibi obuenerit in pœnam patris, ad secunda vota transuentis.

*Ratio: Quia renunciatio utcumq; iurata, trahitur ad eam successionem, quæ sanguinis iure defertur, ut notant doctissimi quicq; Canonista, in d. c. quamuis: at qui bona, quæ illi obueniunt à patre ad secundas nuptias cõuolante, non iure sanguinis, sed legum beneficio, & veluti pœna nomine accipit, ut sequenti thesi dicemus. vnde etiam ad ea præstanda pater cõpelli potest. Huic rei argumentum est, l. si arrogator, ff. de Adopt. vbi Arrogator,*

rogator, si arrogato filio substituat aliquem testamēto, intelligitur tantam quoad ea qua arrogator ei reliquit, ultra quartam bonorum substituisse: nam quartam lex ei defert volente nolente arrogatore, & consequenter nihil valet dispositio arrogatoris, in eo quod non habet arrogatus ab ipso, sed à lege, ita Sichard in l. femina, n. 8. C. de secund. nupt. Praterèa probatur hac ratione, quia filia per statutum à patri successione exclusa locum non habet. si u ad secundas nuptias transeat, Gail. lib. 2. obs. 98. n. 9. Ergo idem dicendum est, si filia pacto renunciauerit. Accedit quod hæc sententia communi Dd. calculo sit recepta, vti testatur Couar. sep. d. c. quamuis §. 3. n. 1.

## XIX.

Si quidem ad secundas transiens nuptias omnia quæ de prioris uxoris bonis, vel jure Sponsalium, vel iudicio defunctæ coniugis consequutus fuerit, amittit, eaque ad filios, quos ex præcedenti conjugio habuerit, transmittit, possidendi tamen atque fruendi ad dies vitæ, facultate concessa.

Textus expressus in Authent. de nuptijs §. soluto & in Auth. vt filij frum, §. si verò expectet. ibi: & hæc communis mulieris & viri mulctæ, & c. §. quia verò. Argumento leg. femina C. de secund. nupt. & l. generaliter, eod. Corras. Miscell. iur. ciu. lib. 3. cap. I. vbi per multa, scitu non indigna congerit. Couar. de Matri. 2. part. §. 9. n. 10. Myns. sing. obs. cent. 5. obs. 14. Gail. pract. obs. lib. 2. obs. 98. n. 3. Estq; communis Dd. sententia, Gabriel. com. conclus. lib. 3. concl. 11. n. 2.

## XX.

Et quamuis poenas in odium secundi matrimonij tantum introductas & hoc solo nomine viduis inflictas quod intra annū luctus ad secunda vota conuolent, (A) jure Canonum sublatas concedamus, (B) sublatas tamen poenas siue mulierem, siue virum respicias, in fauorem & gratiam liberorum principaliter concessas negamus, (C)

- (A) Cuiusmodi habentur in l. 1. & 2. C. de secund. nupt. l. decreto C. ex quib. caus. infam. irrog. l. 1. l. liberorum §. 1. ff. de his qui notantur infamia.  
 (B) c. penult. & vlt. de secund. nupt. cum matrimonia regantur iure pot. li. non iure fori: & iure poli mortuo viro mulier soluta est à lege viri, nu. bat si vult. c. Euthemium, 2. quæst. d. l. 1. verbo, honorarias. Nec in his secularibus:

culares leges dedignantur sacros canones imitari d. c. penult. Estq; communis Dd. opinio Couar. de Matrim. 2. part. §. 9. n. 6.  
 (C) quia hoc nullo iure correctum reperitur, Corras. d. lo. n. 6. Gail. d. lib. 2. obs. 98. n. 8. Couar. d. l. n. 7. Et est communis Dd. sententia. Gabriel. com. conclus. lib. 3. concl. 5.

## XXI.

Inde etiam fit quod & interpretes & pragmatici fatentur, vt quæ bonis paternis renunciauit, nõ cenleatur renunciasse fraternis, non solum si bona illa frater habuerit aliunde quàm à patre, (A) sed & si ab ipso patre profecta sint, (B)

(A) Quia quoties duplici iure aliquid alicui defertur, repudiato vno superest alterum l. quoties duplici ff. de reg. iur. sic, qui vocatur ad hereditatem iure ciu. & prætorio, repudiato iure prætorio, non prohibetur hereditatem petere iure ciuili. l. suum C. de iure delib. Cum itaq; filia suo pacto iurato renunciauerit bonis paternis, non etiam fraternis, planè consequens est talem renunciationem ad bona fraterna minimè extendi.

(B) Quia postquam hereditas est adita & acquisita heredi, mutat nomē hereditatis & transfunditur in patrimonium ipsius heredis, l. sed si plures, §. filio, ff. de vulg. & pupill. probatur hoc melius ex §. 7. Institut. de her. qual. & differentia, vbi aperte hoc deciditur dum dicit textus: vt si creditoribus satù non fiat, potius eius heredis bona, quam ipsius testatoris à creditoribus possideantur, vel distrahantur, vel inter eos diuidantur, & sic est ibi clarus casus, quod seruo manumisso herede instituto adita hereditate non dicantur amplius ipsius testatoris instituentis seruum heredem, sed ipsiusmet heredis bona & per consequens non sunt amplius hereditaria Hieron. Schurpf. cent. 2. cons. 46. & cent. 1. consil. 96. n. 17. Hinc est quod heredi, si post aditionem cadat à possessione rerum hereditariarum, non competat petitio hereditatis sed rei vindicatio, glos. in l. si. verbo, non competere ff. de fideicomis. glos. in c. 1. de confess. in 6. Gail. pract. obs. lib. 2. obs. 148. n. 11. Lud. Gomez. in com. super tit. de Action. §. item si quis, n. 17. Decius in l. hereditas ff. de R. 1. Et est communis prout testatur Cuchalon. in Addit. ad d. regulam.

## XXII.

Succedit & ipsi patri, si frater in cuius fauorem renunciatio facta est, obierit, (A) vel delatam hereditatem adire noluerit. (B)

THESES IVRIDICÆ

- (A) Ratio est: quoniam cessante renunciationis causa finali, eius quoque effectum cessare æquum est. Myns. in §. illis, de milit. testam. Nec impedit iurisiurandi religio, illud enim hanc perpetuam conditionem habet, si res in eodem statu permaneant, c. quemadmodum extra de iureiur.
- (B) Quia pro mortuis habentur quoad effectum succedendi; qui non succedunt, quacumque ex causa successio impediatur. Atque hanc sententiam sequitur Gail. d. obs. n. 10. Estque communis, teste Couar. sep. d. c. quamvis p. 3. §. 3. n. 4.

XXIII.

Succedit quoque ipsi patri, si ab eo metu in constantem virum cadente, (A) ad renunciandum sit inducta, (B)

- (A) quia metus levis quo circumstantiis omnibus consideratis maius malum eligitur, ad effugiendum id quod est minus, resurrectionem non parit. c. locum de sponsalibus, c. veniens eod. l. metu ff. de eo quod metus causa l. va. ni timoris ff. de R. l. Couar. de Matrim. 2. p. §. 6. n. 4. Gregorius de valentia societatis Iesu comment. Theologicorum Tom. 4. disput. 10. quest. 3. p. 2. R. P. Ioannes Azorius eiusdem societatis Iesu, institut. moral. lib. 10. cap. 11. versu, decimo sexto, ubi inter forum fore & poli, pulcre distinguit. Nobilis clarissimusque vir Dominus Fridericus Martini Præceptor meus, in prælectione c. cum dilecti, extra de Empr. & vendit.
- (B) Sep. d. c. quamvis & c. cum contingat, & c. si verò, quibus in locis traditur, pactiones tunc demum iuramento firmari, si metu non fuerint facta. Ergo metu facta non valebunt Gail. pract. obs. lib. 2. obs. 47. n. 15. Atque ita omnium consensu receptum testatur Couar. sep. d. c. quamvis 2. part. §. 4. n. 2.

XXIV.

Metus in constantem virum cadens dicitur, quo circumstantiis omnibus ipsius personæ & negotij consideratis, merito prudens moveri potest, ad aliquid faciendum, quod alioqui nolle. Id quod tunc accidit, quando id quod est reuera minus malum & incommodum eligitur, ad evitandum maius malum.

l. metu ff. quod metus causa Aristoteles lib. 3. Ethic. cap. 3. Couar. de sponsalibus. 2. p. §. 4. n. 4. Gregorius de valentia comment. Theologicorum Tom. 2. disput. 2. quest. 1. puncto 4. & d. Tomo 4. disput. 10. quest. 3. p. 2.

Iudex

THESES IVRIDICÆ

Iudex autem arbitrabitur, (A) ex indicijs & conjecturis, (B) an vir prudens & constans, eligeret potius id agere, quod timoris causa sit, quam periculum quod imminet subire,

- (A) l. 3. ibi. huius rei disquisitio iudicij est, ff. ex quib. caus. Dec. d. lo. Couar. de sponsal. 2. p. §. 4. n. 15.
- (B) Quia quando metu aliquid fit, tum intus in patiente existit actionis origo, utpote qua à voluntate minus malum eligente proficiscitur l. si à patre ff. de rit. nupt. c. sacrus extra de restit. in integrum: Vnde non mirum si ex signis externis metus colligendus sit, argumento c. si. de restit. Decius l. in omnibus n. 7. ff. de R. l. Couar. de sponsal. 2. parte. §. 5. num. 10.

XXV.

Cæterum iuramentum, etiam metu in constantem virum cadente præstitum, non est nullum, sed ipso iure obligatorium donec ab eo absolutio impetretur.

c. verum de iureiurand. c. si verò, extra eod. rit. cor. tit. C. & foram. quod metus causa, ubi dicitur, quod aduersus pactum metu factum in integrum restitutio concedatur, quod tamen non rectè diceretur si actus metu factus non valeret. Nam restitutio præsupponit obligationem, quod si contractus metu gestus valet, valebit quoque iuramentum metu præstitum. Deinde tali modo iurans aut habet animum iurandi, & consensum præbet in id quod iurat, aut non habet, si non, periurus est, quia inuocat diuinum nomen falso in testem, si habet tenetur Deo iuramentum seruare. Vniuersum enim verum, quod iuramentum non vergens in alterius præiudicium aut æternæ salutis dispendium, sit seruandum, ut antea sæpius diximus. Molina de iustit. tract. 2. disput. 149. versu, quatuor iuribus citat. Et hæc est communis opinio teste Couar. de sponsalibus. 2. p. cap. 3. §. 5. n. 2. Et Variar. resol. lib. 1. cap. 4. n. 7. & R. P. Ioanne Azorio societatis Iesu institut. Moralium d. lib. 1. cap. 11. versu, duodecimo.

XXVI.

Præterea si filia dolo inducta, renunciet obuenturæ patris hereditati, siue per eam modicè siue enormiter lædatur, nullatenus obligatur.

d. c. quamvis, c. licet, c. cum contingat. Ratio est, quia licet alias pactum de iure inuadendum, si iurandum validè reddat, ut thesis, ex com-

C 3

muni

munī Dd. sententia probauimus: attamen vbi iuramentum dolo est expressum pactum non reddit validum dd: iur. & argumento l. & eleganter ibi, aut nullam esse venditionem ff. de dolo l. in causa, ibi, aut nullam esse societatem, ff. de minoribus l. ea verò. 3. §. ult. ff. pro socio l. ult. ff. de consuet. pec. l. qui nondum 4. C. de her. vel act. vend. Ratio est, quia errans non consentit, cum consensui nihil tam contrarium sit quam error l. si per errorem ff. de iurisd. omnium iudic. nullaq; errantis voluntas l. sed hoc ita ff. de Aqua pluua arcenda, si nulla voluntas ergo nullus consensus cum is nihil aliud sit quam applicatio quadam appetitiua potentia, non cuiuscunq; sed voluntatis, ad id quod est illi per consilium ab intellectu propositum tanquam expetendum. Gregorius de Valentia comment. Theologic. Tomo. 2. disput. 2. quest. 10. p. 1. At qui per dolum renunciat errat, cum fraudulenta machinatione & calliditate alterius circumueniatur, l. 1. ff. de dolo malo. Sequitur hanc sententiam Gail. practic. obs lib. 2. obs. 147. Couar. c. possessor 2. p. §. 7. n. 6. Petrus Gregorius Tholosanus, sintagmatis iuris vniuersilib. L. cap. 5. n. 14. Eamq; communem faretur Abb. in d. c. cum contingat faciunt que tradit Myns. sing. obserua. cent. 6. obs. 38.

## XXVII.

Sic quòque si dulus re ipsa interueniat, seu filia renuncians enormiter vltra dimidium iusti sit læsa, absolute à iuramento impetrata, (A) quæ omnino concedenda est, (B) beneficio legis secundæ C. de rescind. vendit. vti poterit. (C)

(A) Quia omne iuramentum, quod non vergit in alterius detrimentum, nec in aterna salutis dispendium, est seruandum, vt multoties probauimus: At qui iuramentum hoc nostro casu prestitum, tale est, ergo est seruandum.

(B) Quia iuramentum non debet esse vinculum iniquitatis c. animaduertendum 22. quest. 2. c. et si Christus, de iure iur. ergo iuramentum est relaxandum.

(C) Absolutio tollit vinculum iuramenti, & idem est, ac si iuramentum prestitum non esset sed si iuramentum non esset prestitum, proculdubio daretur actio ad rescindendum contractum, propter læsionem vltra dimidium, ergo idem dicendum, præstita à iuramento absolute. Tenent hanc sententiam Couar. lib. 2. variar. resolut. cap. 4. n. 5. Sichard. in d. l. pactum dotali n. 15. & in l. 2. n. 12. C. de rescindenda vendit. Myns. sing.

ing. obs. cent. 5. obs. 59. Fach. controu. iur. lib. 2. cap. 17. Etq; communis, Gabriel. comm. concl. lib. 3. concl. 1.

## XXVIII.

Ad læsionem autem talem dijudicandam tempus initi pacti, dotisque datæ, non mortis eius, cui tale pactum factum est, inspici debet,

L. si voluntate, ibi, nisi minus dimidia iusti pretij quod fuerat tempore venditionis, & C. de rescind. vendit. Nec immerito, alias enim ab orbe condito omnes contractus celebrati facile rescindi possent, nullusque esset litium finis, nam prædia, castra, prata vinea, &c. olim minimo, iusto tamen tum tempore, pretia fuerunt diuendita, vt constat ex instrumentis desuper confectis, quæ hoc tempore decuplo pluris venduntur Dn. Frid. Martini præceptor noster d. c. dilecti & c. causa. Couar. sep. d. c. quamuis §. 4. n. 15.

## XXIX.

Vnde dotis datio non est hoc loco ad rationem legitime consideranda: tunc n. foret constituenda iuxta quantitatem bonorum quæ pater habet mortis tempore: sed est constituenda iuxta officium paternum, & sic secundum bona quæ tempore nuptiarum & constituendæ dotis pater habuit.

Ratio est, quia vt contra cõiem Dd. sententiam probauimus in specia litera proposita filia renuncians hereditati paterna, legitime portioni renunciare videtur. Couar. sep. d. quamuis. 3. part. §. 2. n. 6. & §. 4. n. 15.

## XXX.

Hinc quoque est quod etiam si auctæ fuerint facultates paternæ mortis eius tempore, supplementum tamen petere nequeat.

Decius in sape d. l. pactum dotali C. de collat. Alexander in consl. 180. lib. 5. Couar. sep. d. c. quamuis. 3. part. §. 4. n. 1.

ILLVSTRIS ET GENEROSI DOMINI,  
DOMINI FERDINANDI GEORGII BARONIS IN  
Froberg, &c. Archiducalis Academiæ Friburgensis  
pro tempore Rectoris magnifici.

AD NOBILISSIMVM ET DOCTISSIMVM IUVENEM  
Ioannem Christophorum ab Ampringen harum  
thesium propugnatoré perstreuum.

EPIGRAMMA

**M**aiorum virtus peperit tibi nobile stemma,  
Et mentem excoluit iuris in arte labor  
Ergo quia has dotes nunc in certamine promis,  
Tu geminas animi nobilitate genus.

ALIUD

AD EVNDEM NOBILISSIMVM  
INGENVVM QVE ADOLESCENTEM  
cognatum suum amantissimum.

REVERENDI ET NOBILISS. DOMINI FRIDERICI  
à Sickingen, Ecclesiæ Metropolitanæ Mogun-  
tinenfis Canonici.

**E**ST aliquid claro censerî sanguine natum,  
Et multos generis dinumerare gradus.  
Propria at est longe matris virtute micare,  
Nec sinere ingenium Nobilitate premi.  
Sanguine Nobilium satus es cognate, vetusto  
Ampringanorum stemmate conspicuus.  
Conspicuis studijs Themidos, sic propria virtus  
Te quoq, Nobilitat, Nobilit atq, genus.  
Scilicet umbellem potis haud generare columbam  
Tela trifurca ferens, Armiger ipse Iouis.  
Maeste animo ingenuas pergas sudare per artes,  
Sic generi antiquo, sicuti crescet honos.

F I N I S.